

DE
APOSTOLORVM
LITTERIS AVTHENTICIS
A TERTVLLIANO COMMEMORATIS

DISSERIT

AC SIMVL

PRO FRATRE OPTIMO
CHRIST. GVIL. FRANC
WALCHIO

PVBLICI IN CELEBERRIMA GOETTINGENSI ACADEMIA DOCTO
RIS PROVINCIAM ADGRESSVRO

VOTA NVNCVPAT
IO. ERNESTVS IMMANVEL
WALCHIVS P. P

SOCIETATIS LATINAE IENENSIS DIRECTOR

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS

CIO IO CCLIII

Coll. diss. A
126, 41

39.

cl. CXXVI.

41.

~~41.~~

DE
APOSTOLORUM
LITTERARUM AVTHENTICIS
A FERTILIANO COMMUNORATIS

DISSERTATIONE
PROFRATRE OPTIMO
CHRISTO GUIL. FRANK
WALCHIO

PHYSICUS IN GIESSEN, SOCIUS ACADEMIAE DOCTORUM

PHYSICUS IN GIESSEN



VOTUM C. V. R. A. T.

JO. ERNSTI STIMMANNI V. E.

ON WALCHII S. P. P.

PHYSICUS IN GIESSEN

PHYSICUS IN GIESSEN



Si de diuinis posterioris foederis libris, propria sacrorum auctorum manu scriptis, disputari a viris doctis et tempus, quam diu praestantissima haec chirographa ab interitu vindicauerit sanctior cœtus, definiri solet, ad TERTULLIANVM plerumque prouocare eos audimus, qui ad tertium fere post seruatorem natum seculum, si non omnia; plurima tamen certe conseruata fuisse, opinantur. Age, inquit doctissimus ille MONTANI adsecla, in quo quid praestantius fuerit, ingenium; an institutio? ægre dixeris, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurrere ecclesias apostolicas, apud quas ipse adhuc cathedra apostolorum suis locis praesident: apud quas ipsæ AVTHENTICAE LITTERAE eorum recitantur, sonantes vocem et representantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est a). Testimonium hoc, si modo, quod spero, τῶν αὐτογράφων horum per duo priora secula conseruationem probare ex isto liceat, maximi fane arbitror esse faciendum et, nisi me omnia fallunt, tanto plaris; quanto hoc luculentius demonstrat, sanctissimis nostris maioribus optima et certe firmissima ad vindican-

a) de praescript. haeret. cap. XXXVI. p. 245. ed. RIGALTI.

dicendam ab omni corruptione sacrorum monumentorum integritatem praesidia nequaquam defuisse. Auget effati huius Tertullianei praestantiam ceterorum huius et superioris aetatis scriptorum de his codicibus *ἀυτογράφους* pene vniuersale silentium. Etsi enim a multis POLYCARPVM *b)*, ab aliis IRENAEVM *c)*, a plurimis IGNATIVM *d)* in eadem hac causa scio testes aduocari; ista tamen, quae ex optimorum horum virorum scriptis solent extorqueri, suffragia neutiquam ita extra omnem dubitationem sunt posita, ut tuto iis liceat inniti; neque possit contrariae eorum interpretationi, si non magna; aliqua tamen certe probabilitatis species conciliari. Taceo, POLYCARPI verba, si quoque his id, quod nonnulli volunt, effici posse, concessero, de vnico tantum diuino libro, de epistola nimirum Paulli ad Thessalonicenses, agere: IGNATII testimonium lectionis diuersitate laborare *e)*; IRENAEI vero verborum de libris diuinis *ἀυτογράφους* interpretationem multis, neque immerito, maxime dubiam atque incertam iam dudum visam esse. Age itaque, videamus, quae TERTULLIANI nostri verborum sit sententia; tum vero, quantum ex illis in hoc grauissimo argumento queat confici, et quantum eis fidei videatur esse tribuendum.

ETIAMSI multi, iique doctissimi viri, ex quibus PAMELIUM *f)* tantummodo, GROTIUM *g)*, MILLIUM *h)*, DOD-

- b)* epistol. ad Philippens. com. III. vol. II. patrum apostolicorum COTELERII, p. 187. *ra veteris ecclesiae circa canonem scripturae sacrae*, p. 128. HENR. DODWELLVM *paranesis ad exteros de nupero schismate Anglicano*, p. 98. et ISAAC. DE BEAUSOBRE *in histoire critique de Manichée et du Manicheisme*, tom. I. p. 438.
- c)* contra haereses, cap. XXXII. p. 165. ed. MASSVETI. *f)* not. in Tertullianum, p. 307.
- d)* epistola ad Philadelph. §. VIII. vol. II. patrum apost. COTELERII, p. 32. *g)* de veritate religionis christianae libr. III. §. 2.
- e)* lege, praeter alios, IO. HENR. MAIUM *exam. hist. crit.* RICH. SIMONIS, p. 53. summe venerab. abbatem CHRIST. MATTH. PFAFFIUM *de variis noui testamenti lectionibus* p. 28. sq. IOANNEM FRICKIUM *de cu-*
- h)* prolegom. in nouum test. num. 247. p. 29.

WELLVM *i*), MAIVM *k*), CHEMNITIVM *l*), FRICKIVM *m*)
 et RVMPAEVM *n*) breuitatis causa nominasse sufficiat, hoc de
litteris apostolorum authenticis TERTVLLIANI effatum de episto-
 lis cum propria; tum scribarum, quibus forte vsi sunt, manu
 exaratis, interpretandum esse, existimarunt; non tamen defuerunt,
 qui in alia omnia discederent, et modo huc: modo illuc trahe-
 rent iam recitata illa scriptoris nostri verba. In his nonnulli
 cum RICHARDO SIMONIO *o*) et NICOLAO RIGALTIO *p*), *lit-*
teris authenticis epistolas legatorum Christi, græca, quam *origi-*
nalem dicunt, lingua scriptas, quatenus versionibus opponantur,
 indicari, crediderunt. Aliis, in quibus præcipue NATHAN.
 LARDNERVS *q*) est, Tertullianus, quum hæc scriberet, gene-
 ratim epistolarum exempla, fide dignis testimoniis comprobata,
 de quorum auctoritate nulla fuerit dubitandi ratio, in mente vide-
 tur habuisse. Quicquid huius rei sit, eruditissimi hi viri pri-
 mum, vocabulo *authenticus* apud TERTVLLIANVM significatio-
 nem, quam nos modo indicauimus, adsignandam esse, negant,
 maxime quod id etiam versionibus opponi; aut de eo, quod
 generatim sit certæ fidei et auctoritatis, vsurpari soleat *r*). Pu-
 tant deinde, TERTVLLIANVM de litteris, propria sacrorum
 scriptorum manu exaratis, loqui eam ob causam non posse, quod
 his coniunctim eos, qui de salutaris doctrinæ capitibus, re-
 ctene illa tradantur; an vero secus, certiores reddi cupiant, conuin-
 cere velit, legatorum seruatoris doctrinam eandem esse, quam
 tum purior cætus profiteatur. His vero positis, TERTVLLIA-
 NVM, si chirographa illa in mente habuisset, vt ex his, quod ve-

A 3

lit

i) *diff. in Iren. 1. §. 41.*

k) *exam. hist. crit. text. nou. test.*
 RICH. SIMONIS, *cap. IIII. p. 48 sq.*

l) *exam. concil. Trident. loc. 1. de*
script. sacr. §. 13. p. 71.

m) *de cura vet. eccles. circa canon.*
script. sacr. p. 251.

n) *comm. crit. ad libros noui testam.*
 p. 251. Adde ERN. LVD. RATH-
 LEFIVM *historia authograph. apostol.*

p. 27. et EBERH. HENR. DAN. STO-
 SCHIVM *de cura vet. ecclesie circa libros*
sacros nou. testam. p. 70.

o) *histoire critique du texte du nou-*
veau testament, p. 70.

p) *not. in Tertullian. p. 70.*

q) *fide hist. euangelicæ libr. 1. cap.*
 27. p. 503. ed. german.

r) vide RICH. SIMONIVM *loc. exc.*

lit, iunctim vincatur, minime putant alios Romam, alios Corinthum, alios alibi ablegare potuisse s). Sed, quod pace doctissimorum horum virorum dixerim, hæc argumenta tanti nequaquam mihi esse videntur ponderis, ut, nisi grauiora accesserint, de ea, quam defendendam suscepi, sententia me dimouere queant. Ut enim neutiquam eam solummodo ob causam interpretatio alicuius effati improbabilis efficitur, quod vnum alterumue in isto vocabulum plures habeat significationes; modo ne ea, quam nos definimus, insolens sit atque inaudita; sic merito, vocabulum *authenticus* TERTULLIANI æuo generatim de rebus certæ fidei vsurpatum; aut versionibus oppositum esse, negatur. Prouocat quidem hac in causâ RICHARDVS SIMONVS ad HIERONYMI quoddam effatum t), in eoque libros authenticos versionibus opponi, autumat; sed insigniter, dum hæc scripsit, deceptus est doctissimus ille Gallus. In illis enim, quibus testimonio vtitur, HIERONYMI verbis nequaquam *authenticæ libri* versionibus; sed, ut omnes rationes ostendunt, libris, Esaiæ falso tributis; siue libri, qui vatem hunc auctorem habent et quos manu eius scriptos olim apud Iudæos seruatos esse, exploratum fuit, his, qui temere adficti ipsi sunt, opponuntur. Negatur porro, TERTULLIANVM ad legatorum diuinorum scripta *αὐτόγραφα* coniunctim in hoc argumento prouocare voluisse. Prouocabat ad *αὐτόγραφα*, nequaquam vero eo consilio, ut omnia adhuc conseruata esse, demonstraret; sed ut cætum sanctiorem idem, quod in epistolis suis legati diuini, docuisse et adhuc docere horumque et illius doctrinam eandem esse, ipsis quasi eorum *αὐτογενέσις* ostenderet. Hoc demonstrandi modo doctissimus ille Afer vsus, non necesse habebat, ad omnia *αὐτόγραφα* lectores remittere; sed suffecisse videbatur, Paullinarum epistolarum præstantissimas, in quibus præ ceteris religionis christianæ doctrina *ἀπιστολική* tradita erat, commemorasse, ob consensum earum arcissimum cum reliquis libris diuinis, et quoniam, quæ in vno, eadem et in altero diuino libro tradita erat

s) lege LARDNERVM loco excitato. tom. III. operum, p. 473. edit. MARTI
t) commentar. in Ies. cap. LXIII. TIANAEI.

erat christianorum fidei morumque disciplina. Quid vero, si iam eo ævo superstitionem tam altas in hominum animis radices egisse dicamus, ut eiusmodi narrationibus parum tribuendum sit fidei? Aequo profecto seuerius, mea quidem sententia, foret hoc de antiquis huius ætatis scriptoribus iudicium, si omnia sine discrimine, quæ ab his memoriæ prodita sunt, ob id ipsum suspecta a nobis redderentur, quod superstitioni indulgere et huius, quam veritatis, amantiore forsitā esse potuerunt. Merito deneganda esset hac in causa fides TERTULLIANO nostro, si, quod generatim in hoc argumento dictum est, speciatim ad illum adplicari ac monstrari posset, ætatem eius, qua vixit, nulla fide esse dignam: eum sæpius superstitionis nomine in rebus historicis se reddidisse suspectum: sibi multa falsa imponi, passum fuisse; aut ex impuris fontibus, quæ litteris mandauerit, hausisse. Quorum vitiorum nulla in Afrum nostrum cadit suspicio, ut infra monstrandi, locus erit.

QUANTO leuiore vero dissentientium, ut modo vidimus, rationes hac in causa sunt; tanto grauiora pro illa, quam defendo, argumenta adduci posse mihi videntur. Urgeo potissimum germanam et vsu satis confirmatam vocabuli *αὐθεντικός*, de quo hic præcipua quæstio est, significationem. Pro hac cum apud iurisconsultos; tum alios antiquos scriptores *authenticum* idem est, quod barbaro vocabulo *originale*; vel cum CICERONE u) *ἀρχέτυπον* et *χειρόγραφον* x), cum SVETONIO y) aliisque *αὐτόγραφον*, cum GELLIO z) *ιδιόγραφον*, cum MARTIALI a), *chartam virginem* dicimus et cui plerumque *ἀπόγραφον*, *exemplum*, *exemplar*, *copia*; siue id, quod ab *αὐτογράφῳ* descriptum est, opponi solet. Hanc esse veram et vsitatam olim huius vocabuli significandi potestatem, luculenter potest ostendi. Sic VLP

NVS

u) *libr. XVI. epist. 3. ad Attic.*
Adde IUVENALEM *sat. II.*

x) *libr. VII. ep. 18. ad famil.*

y) *vit. Aug. cap. LXXI. et LXXXVII.*
Adde *noell. XXXXVIII. cap. 2. in princip.*

z) *libr. VIII. cap. 14. p. 459. edit. GRONOVII.*

a) *libr. I. epigr. 91.* Adde clariss. IO. FRID. GVBLINGII *dissertationem de autographis veterum*, præfide cel. IO. GVIL. BERGERO Vitembergæ MDCCXXIII. habitam.

NVS b) satis manifeste *tabulas testamenti authenticas a tabulis de-*
scriptis; siue illarum exemplis distinguit. Sed et tabulas, inquit,
testamenti debet apud eum, qui ex maiore parte heres est, iubere
manere; aut in eade deponi. Nam et Labeo scribit, vendita heredi-
tate tabulas testamenti descriptas deponi oportere, heredem enim ex-
emplum debere dare; TABULAS vero AUTHENTICAS ipsum reti-
nere; aut in eade deponere. Id quod et ex hoc eiusdem scriptoris
effato patet c): si quis fecerit testamentum et EXEMPLVM eius;
EXEMPLO quidem aperto, nondum apertum est testamentum. Quod-
si AUTHENTICVM patefactum est, totum apertum est. Taceo de
authenticis rationibus, quarum alibi mentio fit d) deque authen-
ticis sacris probatoriis; siue manu imperatorum subscriptis, quæ ab
exemplaribus sacrarum militarium litterarum in LEONIS et ZENO-
NIS imperatorum lege e) fecernuntur, et PAVLLVM iurisconsul-
tum f) testem aduoco, apud quem, ut ex VLPIANO vidimus,
exemplum scripto authentico opponitur: quicumque a fisco conueni-
tur, non ex indice et EXEMPLO ALICVIUS SCRIPTURAE; sed ex
AUTHENTICO conueniendus est. Idem confirmant τῶν βα-
σιλικῶν verba, in quibus, quod in supra memoratis legibus
exemplum, ut omnes rationes ostendunt, ἀντίγραφοι dicitur:
ἐν δικασηείοις ὁ πιστεύεται τὸ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ, ἀλλ' αὐτῶν τῶν
ΑΥΘΗΝΤΙΚΩΝ δικασιμάτων δεόμεθα. Eadem huius vocabuli
significatio extra forum quoque fuit vsitata. Ipso CICERONE
teste hac in caussa uti nobis licet g). Ad Atticum enim scribens,
quid queris? inquit, etiam illud erat persuasum, Pompeium cum
magnis copiis iter in Germaniam, legendum: in Galliam, ut ex
alio huius auctoris testimonio patet h), per Illyricum fecisse, id
enim ἀνθευτικῶς nuntiabatur, id est: per litteras ab iis scriptas,
 qui

b) leg. IIII. §. ult. digest. famil. er-
ciscund.

c) leg. XII. digest. testam. quemad-
modum aperiatur cet.

d) leg. VIII. digest. famil. ercisc.

e) leg. VIII. cod. de diuers. offic.
et adparit. iudic.

f) libr. v. sentent. tit. 12, siue leg.

2. dig. de fide instrum. Adde CALVI-
NVM lex. iurid. voc. authenticus, p.
243. et BARNAB. BRISONIVM de
verbor. significat. p. 121. ed. IVST.
HENR. BOEHMERI.

g) libr. X. ep. 9. vol. II. operum p.
197. ed. AD. LITTLETONI.

h) libr. X. ep. 6. ad Atticum.

qui rebus gerendis vel præfuisſent; vel certe interfuiſſent. Eodem modo et illud effatum, quo *Balbus* ἀυθεντικῶς loquutum eſſe, ſcripſit i), interpretandum eſſe, videtur. Idem confirmant aliorum ſcriptorum dicta. Nolo in præſenti ad *IGNATIVUM* k) prouocare, de iis loquentem, qui nihil admittere nullique diuino libro fidem dare voluerunt; niſi cuius ἀυτόγραφον in archiuis, quæ ἀυθεντικά ἀρχεῖα ob id vocat, vidiffent idque cum deſcriptis exemplis contuliſſent, maxime, quod ipſum hoc teſtimonium aliquot dubiis lectionibus ſcio eſſe ſubiectum. Sufficiat, verba *HESYCHII* l) in medium adduxiſſe: κύριον ἴδιον ἀυθεντικὸν γραμμάτειον, et illud *GREGORII MAGNI* m): *vel authentica; vel exemplaria*: itemque, præter *THEOPHANI* et *NICOLAI primi*, pontificis Romani, effata, ab *AD. RECHENBERGIO* n) ſuppeditata, ea, quæ *MARCUS Ephesinus* in Florentino concilio o) de Zoſimo, pontifice Romano, authentica concilii Nicæni acta a Cyrillo Alexandrino et Attico Conſtantinopolitano epiſcopis Carthaginenſi concilio mitti iubente, narrat: καὶ διὰ τῆτο ζητήσομεν ΤΑ ΑΥΘΕΝΤΙΚΑ, ΤΕΤΕΣΙ ΤΑ ΠΡΩΤΟ ΤΥΠΑ τῆς ἐν Νικαῖα ſυνόδου παρὰ τῶν τῆς ἀνατολῆς ἀρχιερέων, ἦτοι τῶν Ἀλεξανδρείας Κυρίλλου, καὶ τῶν τῆς Κωνſταντινουπόλεως μακαρίων Πρόκλου, pro quo *ΑΤΤΙΚῶ* legendum. Quæ omnia effata ita

com-

i) *libr. viii. epiſt. 14. p. 190.* eiusd. edit.

k) *epiſtol. ad Philadelph. num. vi. p. 80. patrum apoſtolicor. COTELERII.* Conferas de hoc Ignatii effato: *IO. HENR. MAIUM exam. hiſt. crit. text. noui teſt. RICH. SIMONIS, p. 53. ſumme venerab. CHRIST. MATTH. PFAFFIUM de variis noui teſtam. lect. p. 28. ſq. IOANN. FRICKIUM de cura vet. eccleſiæ circa canonem ſacræ ſcripturæ, p. 128. HENR. DODWELLUM paraneſi ad exteros de nupero ſchiſmate Anglicano p. 98. ISAAC. DE BEAUSOBRE in hiſtoire critique de Ma-*

niché et du Manicheiſme, tom. i. p. 438. IO. FRANC. BVDDEVM iſagog. ad theolog. vniuerſ. p. 1306. NATH. LARDNERVM fide hiſt. euangel. libr. i. cap. 5. p. 136. edit. germ. ſumme reu. SIGISM. IAC. BAYMGARTENII, alioſque plures.

l) *lex. voc. ἀυθεντικός.*

m) *libr. i. epiſt. 42. Adde eundem libr. ii. indiſt. 2. epiſt. 3. et libr. viii. epiſt. 88.*

n) *hierolexic. p. 142.*

o) *tom. x. concilior. HARDVINI, p. 231.*

B

comparata sunt, ut, quid apud veteres *authenticum* dictum sit, luce clarius demonstrare videantur.

EAMDEM vero significandi vim, in foro potissimum usitam, TERTULLIANVM vocabulo huic dedisse, et de sacris posterioris fœderis libris *αὐτογράφους* in nostro, de quo commentor, effato loquutum esse, ut credam, multæ et, uti ego quidem opinor, haud leues me mouent rationes. Fuit olim scriptor noster legitimæ disciplinæ studiosissimus p). Multa proinde admisit in scriptis suis vocabula et formulas, fori potissimum proprias q). Vtitur et alibi hoc vocabulo eidemque illam, quam

p) id testatur disertis verbis EVSEBIVS *libr. II. hist. eccles. cap. 2. p. 41.* post eum RVFINVS *libr. II. hist. eccles. cap. 2.* ac NICEPHORVS *libr. II. hist. eccles. cap. 8.* Adde VALESIVM *notis ad memoratum EVSEBII effatum, p. 24.* IO. ALB. FABRICIVM *notis ad HIERONYMV M de scriptor. eccles. cap. LIII. p. 124.* eius *bibliothec. eccles. NICOL. LE NOVRRY adparat. ad bibliothec. maxim. patrum, tom. II. p. 1202.* CLAVD. SALMASIVM *notis ad Tertull. de pallio, cap. V. p. 420.* PAMELIVM *vit. Tertulliani, eius operibus præmissa, p. IIII.* Diuersus tamen scriptor noster est a TERTULLIANO *iuriconsulto, id quod contra ANTON. AVGVSTINVM de nomin. propriis pandect. p. 139.* CVIACIVM *libr. VII. obs. 2. p. 195.* GVLL. GROTIVM *vitis iureconsult. libr. II. cap. 9.* GVID. PANCIROLLVM *de clar. leg. interpret. libr. I. cap. 50. p. 52.* ALBERICVM GENTILEM *de nupt. libr. I. cap. 14.* RADVLPH. FORNERIVM *rerum quotidian. VI. 5.* FRANCISC. HOTTOMANNVM *antitribon cap. XII. p. 154.* SAM. BAS-

NAGIVM *annal. ad ann. Chr. CC. num. 3.* aliosque plures, ostenderunt: HENR. VALESIVS *loc. memorato p. 24.* AEGIDIVS MENAGIVS *amænitatibus iuris civilis, cap. XII. p. 61.* LVD. ELL. DVFINIVS *biblioth. des auteurs eccles. tom. I. p. 107.* I. M. HEINECCIUS *de iureconsultis christianis primor. seculor. p. 18.* EDMAND. MERILLIVS *obs. IIII. 27.* EVERARD. OTTO *præfat. tom. I. thesaur. iuris rom. f. 20.* GREG. MAIANIVS *libr. III. ep. 12.* IOAN. NIC. FVNCCIUS *de veget. lingua lat. senectute, p. 478.* IVST. CAROL. WIESENHAFERVS *diss. de iureconsulto et Q. Septimio Florente Tertullianis Hildes. MDCCXXXIII.* aliique plures a doctiss. IO. HENR. BLUMBACHIO *excitati com. de senatusconsulto, Q. Septimo Florent. presbyt. et iureconsulto Tertullianis, Lips. MDCCXXXV.*

q) lege CVIACIVM *libr. VII. obs. 2.* IO. NIC. FVNCCIUM *libro memorato p. 897.* BOECLERVM *biogr. critica p. 904.* IACOB. PAMELIVM *vita Tertulliani, p. IIII. col. 2. inprimis*

quam nos defendimus, adsignat significationem r). Prouocat
 alio loco, licet aliis verbis, ad sacrarum litterarum *αὐ-*
τόγραφα

mis vero eius *indicem operum* huius scriptoris, ex quo multis exemplis id, quod contendimus, probari potest.

r) *libr. enim IIII. aduers. Marcionem, cap. 2. p. 503. ed. RIGALTII si et retro, inquit, decurrit, Marcion, Lucæ euangelii auctoritatem rimaturus, habuit AUTHENTICAM paraturam, hoc est: Lucæ materiam scribendi authenticam fuisse, inuenit, quatenus Lucas sua a Paulo, Paullus a diuinis legatis, testibus αὐτόπταις haufit. Authenticum enim est, quod ἀμείως ab ipso auctore; vel teste proficiscitur. Pari modo seruatorem nostrum libro eodem, cap. 35. authenticum pontificem dei patris nuncupat, qui nimirum non mediate ab hominibus; sed immediate ab ipso deo patre pontifex creatus et constitutus sit. Neque dubito, quin et illud effatum eo referam: sciamus, plane non sic esse in græco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam; aut simplicem euerfionem, libro de monogom. cap. XI. p. 684. Loquitur Tertullianus de vera lectione verborum I Cor. VII, 39. vtrum legendum: si dormiit, an potius, ut tum in descriptis exemplis erat, si dormierit. Prouocat proinde ad græcum authenticum, ut eius testimonio suam, quam defendit, lectionem stabiliat. Etsi vero probe scio, plurimos TERTVLLIANI interpretes hæc eius verba de græcis codicibus, quatenus versionibus, et in his latinæ potissimum, opponantur; intelligere; non possum tamen non hæc in*

re a communi sententia discedere nostrumque scriptorem epistolam, Pauli manu scriptam, in mente habuisse, statuere. Mouent me, ut sic sentiam, hæc imprimis argumenta. Primum nunquam TERTVLLIANVS, si diuini alicuius effati verba græca, quæ vulgo *originalia* dicuntur, adducit, hac formula vitur. Quæ si mens scriptoris nostri fuisset, suffecisset dixisse: *non sic est in græco cet.* Quid necesse erat, addere vocabulum *authenticus*? Deinde probe expendenda sunt, quæ sequuntur, verba: *quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam; aut simplicem euerfionem.* Euerfio hæc, ut omnes rationes docent, et de quo nullus interpretum dubitat, in græcis exemplis facta esse debuit, siue TERTVLLIANVS, VE RIGALTIVS notis ad hunc locum p. 115. vult, pro κομνηδῆ legerit κομᾶται, siue, ut PAMELIVS opinatur, p. 697. εἰν δὲ κεκομνηται. Quum vero ipsa hæc euerfio ad græcos codices spectauit, nullo modo per *græcum authenticum* potest intelligi *textus græcus*. Hac enim ratione vnum idemque sibi inuicem opponeretur. Græci autem codices epistolæ ad Corinthios huius *αὐτογράφα* commode potuerunt opponi. Denique, etsi TERTVLLIANVS verbis: *sciamus plane, non sic esse; mallem ego, num sic esset, legere, in græco authentico, de scripturæ suæ veritate certus esse videtur; verba tamen, quæ sequuntur, et quæ emendationem meam*
 B 2 cor.

τὸ γράφα s), immo, quod caput rei est, ipsum hoc, de quo
 disputamus, effatum ita est comparatum, ut controuerso
 vocabulo nullam certe aliam, quam quæ a nobis satis adhuc com-
 probata est, significandi potestatem tribuere queamus. Quodsi enim
 I. TERTULLIANVS lectores suos ad sola, quod nonnulli volunt,
 ἀπόγραφα græca ablegasset, certe non necesse fuisset, eos ad il-
 los cœtus, ad quos scriptæ diuinæ epistolæ erant, amandare,
 quum eiusmodi ἀπόγραφα, eaque omni fide dignissima, apud sa-
 crorum antistites et quasuis conditas ciuitates christianas repe-
 rirentur. II. Disputat TERTULLIANVS contra erroneo-
 rum in caussa salutis dogmatum patronos ac defensores. Hos
 ita refutat, ut sanctioris cœtus doctrinam cum legatorum diui-
 norum institutis et præceptis conuenire; in his vero nihil, quod
 peruerse sentientium placitis vel vlllo modo fauerat, reperiri,
 strenue contendat. Remittit eos, qui id experiri ve-
 lint, ad eas ciuitates christianas, quæ partim ex ipsorum legato-
 rum ore: partim ex eorum litteris et scriptis cælestem doctri-
 nam hausissent. Apud illas, addit, *cathedras apostolorum*; apud
 has AUTHENTICAS eorum *litteras* hodieque cerni. Hoc vero
 argumentum omnem suam vim amitteret; nec altera eius pars,
 qua ad *cathedras apostolorum* prouocat, alteri, in qua *authen-
 tica litteræ apostolorum* vrgentur, responderet; nisi per has ipsa
 ἀυτόγραφα intelligere velimus. Coniungit enim cathedras apo-
 stolorum cum authenticis litteris, siue institutionem in salutaris
 doctrinæ capitibus, apostolorum ore factam, cum eorum, quæ
 litteris mandarunt, præceptis in caussa nostræ salutis. Illius in-
 stitutionis testes scribit esse superstites adhuc *apostolorum cathe-
 dras*; huius vero litteras eorundem easque *authenticas*. Vtras-
 que, ait, adhuc apud eas ciuitates, quæ apostolis doctoribus cum
 voce

corroborant: *hoc quidem si ita
 esset, cet. et quæ paullo post habentur:
 sed etsi ita esset, satis aperte demon-
 strant, quæ lectio in illo, cuius
 mentionem facit, græco authentico es-
 set, ipsi non plane exploratum fuisse.*
 Quæ vero quum ita sint, res ipsa lo-

quitur, eius verba nullo modo de co-
 dicibus græcis posse explicari. Hi
 enim in omnium manibus erant, adeo,
 ut de eorum scriptura vix dubitanter
 pronuntiare liceret.

s) *libr. 1111. aduers. Marcion. cap.
 5. p. 505.*

voce; tum per litteras usæ fuissent, hodie monstrari: quemlibet, salutis suæ cupidum, easdem quotidie ibi cernere et proprio oculorum iudicio experiri quasi et videre posse, eas ipsas litteras legatorum diuinorum *authenticas* ibi seruari, quibus nitatur ciuitatum christianarum doctrina. Hæc est sententia effati TERTULLIANI, quam si rite expendere, nullo pacto hoc loco de ἀπογράφοις exemplis sacrorum librorum sermonem esse posse, facili negotio videbis. III. Probe quoque et hoc tenendum est, Tertullianum, nullas alias ciuitates christianas nominare; quam quibus missæ ab apostolis litteræ fuerant. Quod si vero *authenticæ litteræ* nihil aliud; nisi ἀπόγραφα fide digna, significarent, quare non et aliorum sanctiorum cætuum, apud quos præstantissima olim fuerunt sacrorum librorum exempla, nominasset, me non videre, libentissime fateor. Corroborat denique III. nostram interpretationem additum vocabulum *ipse*. *Ipsæ enim authenticæ litteræ*, inquit auctor noster, apud *ecclesias apostolicas*, apud Corinthios, Philippenses, Thessalonicenses, Ephesios, Romanos *recitantur*. Quæ verba satis superque ostendunt, Tertullianum litteras apostolorum, in his ecclesiis recitari solitas, ab aliis aliarum ciuitatum christianarum, in quibus tamen eadem, quæ in illis, publice legebantur, distingui voluisse.

QVEMADMODVM vero ex dictis satis superque constat, TERTULLIANVM non de ἀπογράφοις, sed de ἀυτογράφοις Christi legatorum litteris loquutum esse; ita alia quæstio in medium videtur adferenda, ad rem, quam disputamus, maxime necessaria: Vtrum Montanistæ nostri de his litteris testimonium tantam fidem habeat, vt eo tuto hæc in causa possimus niti? Quod quidem ego, nisi me omnes rationes fallunt, iure arbitror posse adfirmari. TERTULLIANVS merito, si non ab omnibus; a plurimis tamen, fide dignus habetur scriptor. t). Veteres, et in

B 3

his

t) qui TERTULLIANI fidem maxime in iis, quæ de librorum sacrorum codicibus memoriæ prodidit, impugnant, niti potissimum solent eius *apologetici cap. xviii. p. 182. ed. HAVERCAMP*, quo hodie, inquit, *apud Serapæum Ptolomæi bibliothecæ cum ebraicis litteris exhibentur*, id

id

his acutissimi aliorum iudices, nunquam; nisi honorificentissime et summis cum laudibus de eo loquuntur *u*). Nec puto causæ nostræ officere eius ad Montanistarum castra transitum, si quoque, quod libentissime fecerim, a me concedatur, Tertullianum, postquam illorum erroribus irretiri se passus fuerat, suum *de hæreticorum præscriptionibus* librum exarasse *x*). Vti enim, quam sibi ipse inussit, in puriori doctrina inconstantiae nota et macula in rebus historicis, in primis si nihil cum controversa causâ commune habent, eius fidem non tollit; aut, quæ de illis memoriæ prodidit, ob id ipsum suspecta facit, quod in nonnullis dogmatibus a vera via eum scimus aberrasse; sic omni tempore,

id est, ut ex iis, quæ antecedunt, patet, cum libris prioris fœderis ebraice scriptis eorundemque græca versione. Hos ætate eius ibi adhuc existisse, prodit auctor noster; quod vero nonnulli ob aliorum scriptorum testimonia falsum esse, arbitrantur. Prouocant enim ad AMMIANVM MARCELLINVM *libr. XXII. cap. 16. p. 373.* ed. GRONOVII, Alexandrinam hanc bibliothecam dictatoris Cæsaris temporibus ideoque diu ante Tertullianum conflagrasse, memorantem: ad AVLV M GELLIVM *libr. VI. cap. 17. p. 372.* ed. GRONOVII, ad DIONEM CASSIVM *libr. XXXVII. hist. rom. §. 38. p. 327.* edit. REIMARI aliosque eiusdem funesti præstantissimæ huius bibliothecæ incendii testes. At falluntur, qui ex hac TERTVLLIANI narratione fidem eius suspectam fieri posse, opinantur. Quod si enim supra laudati AMMIANI MARCELLINI testimonium *libr. XXII. cap. 16.* cum effatis SENECAE *de tranquillitate animæ, cap. 9.* et OROSII *libr. VII. cap. 15.* comparamus, manifesto videbimus, totam Alexandrinam bibliothecam voluminum septingenta mil-

lia complexu suo tenuisse: ex his quadraginta tantummodo millia in fatali illo incendio conflagrasse, sicque trecenta millia ab interitu vindicata fuisse. In his vero, quod nemo facile negabit, codices illi, de quibus TERTVLLIANVS loquitur, esse potuerunt. Legè NICOLAVM LE NOVRRY *adparatu ad biblioth. maximam patrum, vol. II. p. 1259.*

u) conf. I. ACTANTIVS *libr. V. diuin. institut. cap. 1. et 4.* EVSEBIVS *libr. II. hist. eccles. cap. 2.* HIERONIMVS *de viris illustribus, cap. LIII. p. 124.* *biblioth. eccl.* FABRICII: VINCENTIVS *Lirinenses combnitor. aduersus hæresis, cap. XXIII. alique.*

x) de TERTVLLIANI scriptis, quoniam tempore singula exarata ab ipso fuerint, diligenter commentati sunt: SAMVEL. BASNAGIVS *annalibus politico - ecclesiasticis, tom. II. p. 215.* PETRVS ALLIXIVS *de vita et scriptis Tertulliani, cap. IIII. p. 28. et 10.* GVIL. HOFMANNVS *diff. qua Tertulliani, quæ supersunt, omnia in Montanismo scripta videri, probatur, Vitembergæ, MDCCCXXXVIII.*

tempore, etiam post lapsum suum, eundem, quem antea, erga diuina oracula animum significauit. Neque errores Montanistarum ita comparati fuerunt, vt his abreptus de diuinis libris eorumque conditione aliter sentiret, ac sanctioris christiani cœtus doctores. Accedit, Tertullianum, quum hæc de legatorum diuinitum epistolis *αὐτογράφοις* scripserit, nequiquam historicum agere; sed aduersus peruerse sentientes ac de purioris doctrinæ veritate dubitantes disputare. Hos vero quum grauer refutat Afer noster, quum contra eos ipsa hac publica ad epistolas *αὐτογράφως* prouocatione doctrinæ christianæ cum *ἀποσελικῆ* conuenientiam probare et demonstrare grauer studet, quidni, si falsa retulisset, ne se suamque defensionem maxime suspectam redderet, verendum ipsi fuisset? Vel hoc ipsum nos satis manifeste docet, TERTULLIANUM hac in re nihil scripsisse, cuius veritas ad liquidum haud fuerit explorata. Neque vero non, quod libentissime fateor, video, cur de huius narrationis veritate, quasi de quodam *ἀδυνάτω*, dubitemus. Quasi non fieri potuisset, vt librorum sacrorum, si non omnium, hoc enim ex TERTULLIANO nemo demonstrauerit; eorum tamen, quorum ibi mentio facta est, *αὐτογραφα* ad Tertulliani vsque tempora conseruarentur? Quid? quod passim alia *αὐτογραφα* in antiquorum ingenii monumentis commemorantur, per aliquot secula a posteris seruata? Ita sunt, inquit PLINIVS y), *longinqua monumenta Tiberii Caiique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum vatem ciuemque clarissimum vidi annos fere post c c.* Sic quoque QVINCTILIANVS z) Augusti litteras, propria manu scriptas, vidit legitque, vt ex his eius verbis colligi posse, credo: *herc nunc e littera terminamus; at veterum comicorum adhuc libris inuenio: heri ad me venit. Quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit; aut emendauit, deprehenditur.* Superfedeo aliis exemplis, in medium adferendis, ne, quod quotidie in ciuitatum tabulariis videmus, seruari ibi antiquissimas et plurium seculorum chartas et membranas, operose videar veterum testimoniis demonstrasse. Id vnicum addidisse sufficiat, singularem veterum christianorum de sacris his libris curam a): eorum erga illos reuerentiam summamque, quam adhibuerunt, cautionem, ne fraudulenta manu corrumperentur, eorum vsque ad seculi tertii tempora conseruationem eo probabiliorem efficere.

NOLO iam ostendere, quantum, si hoc Tertulliani testimonium extra omnem dubitationem est positum, quantum, inquam, consequamur contra eos, qui codicum nostrorum integritatem ex præmaturo

τὸν

y) *libr. xiii. histor. natural. cap. 12. tom. iii. p. 84. edit. HARDVNI.*

z) *libr. i. institut. orator. cap. 7. p. 90. edit. BYRMANNI. Adde IAC. PAMELIUM notis ad Tertullianum, p. 307. et IO. FRIDER. GVHLINGIVM diss. de authographis veterum, p. 27.*

a) lege IO. FRICKIVM *comm. de cura veteris ecclesie circa canonem scripturae sacre Vlni. MDCCXXXVIII.* et EBERH. HENR. DAN. STOSCHIVM *de cura veteris ecclesie circa libros sacros noui testamenti, Francof. MDCCXXXVIII.*

τῶν ἀυτογράφων interitu dubiam facere sibi sumunt. Quodsi enim sacrorum librorum ἀυτογραφα vsque ad tertium fere seculum conseruata fuisse, sci- mus: si ex iis, quod Tertullianus de epistolis Paullinis dicit, idem de reliquis diuinis libris, non certa quidem ratione adfirmare; maxime tamen probabili coniectura suspicari nobis licet, nemo; nisi hebes et imperitus, negabit, optima et præstantissima integritatis codicum conseruandæ præfidia maioribus nostris quam diutissime impertita fuisse.

SED sufficiant hæc, quæ in præsentia a me de authenticis christi le- gatorum epistolis disputata sunt. Refero nunc animum ad TE, OPTIME FRATER, et ita quidem refero, vt simul totam hanc, qualiscunque sit, disceprationem TVI potissimum causa institutam; seu, quod verius dixe- rim, pro TVO felici ad Gættingense mularum templum itinere hanc ta- bellam votiuam suspensam esse, abs TE et omnibus aliis credi velim. Etenim postquam non sine sapientissimi dei numine et consilio factum est, vt TIBI in celeberrima et florentissima illa liberalium artium officina publice docendi prouincia demandaretur, quomodo, quæso, a me possim impetrare, vt TE sine votis, sine gratulationibus, sine luculentis mei er- ga TE, quem vere tenerrimum esse, et TV et alii probe norunt, amo- ris signis, sine publico mei in TE animi testimonio dimitterem? Sis ad inuidiam vsque felix: age res TVAS feliciter: fruire mæcenatum, fortunæ TVAE custodum et vindicum, gratia omni tempore, et ita frue- re, vt votis TVIS exitus respondeat optatissimus. Id quod vti fau- stis excitatus ominibus verissime auguror; ita, vt me amore

TVO et in posterum complectaris, vnice opto.

Ienæ, d. vi. ian. cio dcc lxxxii



Coll. diss. A. 126, misc. 41